

Ob-12

1881.2



# INDEX LECTIONUM

IN

## LYCEO REGIO HOSIANO BRUNSBURGENSESI

PER HIEMEM

A DIE XV. OCTOBRIS ANNI MDCCCLXXXI.

INSTITUENDARUM.

PRAEEDUNT **PROF. DR. JOSEPHI BENDER** NOTATIONES CRITICAE  
AD EUSEBII CHRONOLOGIAM.

---

**BRUNSBURGAE, 1881.**

*TYPIS HEYNEANIS.*



INDEX LECTIUM

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

FRANCISCUS DITTRICH

LYCEI REGII HOSIANI H. T. RECTOR

DR. FRANCISCUS DITTRICH,

PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS.

KSIĄŻNICA MIEJSKA  
IM. KOPERNIKA  
W TORUNIU

Bibliothek  
des  
Coppernicus-Vereins  
zu THORN

1943:202

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBERGENSIS  
R E C T O R E T S E N A T U S  
CIVIBUS SUIS

S.

Notationes criticae in Eusebii chronologiam.

Eusebius Pamphili, episcopus Caesarensis (315—340), qui, universa Graecorum Romanorumque scientia instructus, ex omni quidem parte principibus veterum historicorum christianorum adscribendus est, imprimis de temporum describendorum ratione optime meritus est. Hanc enim doctrinam, quam chronologiam graeco vocabulo nominare solemus, cujus initium primus Eratosthenes fecit, quam Claudius Ptolemaeus egregie adjuvit, cui Julius Africanus, christianus, utilem impendit operam, mirifice ordinavit et stabilivit.

Opus ejus chronographicum, maximi laboris atque eruditionis, quod ad hunc finem concinnavit, ipsum nec totum neque integrum ad nos pervenisse, sed quibusdam tantum fragmentis et versionibus aliquo modo restitui posse, memorasse hoc loco sufficiet, itemque monuisse, duobus constare libris, quorum priorem chronica ipsa (*χρονολογίαν*) continere, posteriorem chronicorum canones (*χρονικὸν κανόνα*). Prior, chronicorum liber, quo omnium regnorum populorumque origines et historiam a Chaldaeorum usque ad Romanorum regnum ordine ethnographico (venia sit vocabulo!) contulerat, Armenia versione ad nos pervenit, qua in latinum sermonem conversa uti cogimur, adhibentes fragmenta graeca ab aliis scriptoribus servata. Chronicorum canones re vera tabulae sunt, quibus ordine cujusque anni observato, insertis excerptis ex aliis scriptoribus chronographis, res eodem tempore apud diversas gentes gestae juxta compositae sunt.

Uti in restituendis chronicis Armenia versio, latine facta, tamquam fundamento est, ita ad canones (tabulas) reficiendos opem habemus St. Hieronymi interpretationem latinam. Post Scaligeri aliorumque (imprimis Acheri) in Eusebium curas interpretationem St. Hieronymi cum graecis fragmentis doctisque notis edidit J. P. Migne, tomo octavo operum St. Hieronymi, Parisiis 1846. Novissima eademque optima, qua nos haec scribentes utemur, editio est Alfredi Schoene: Eusebii chronicorum liber prior, Berol. 1875 (Armeniam versionem cum graecis fragmentis continens); et Eusebii chronicorum canonum quae supersunt, Berol. 1866, in quo volumine St. Hieronymo graecisque fragmentis pares insuper loci versionis Armeniae ubique additi sunt.

Inter aeras, ut vocabulo medii aevi sed apud viros doctos hodie usitato utar, quarum Eusebius rationem habet, primaria est aera ab Abrahamo. At duplex est haec aera; una ab Abrahamo nato,

altera a promissione vel repromissione, ut St. Hieronymus dicit, Abrahamo a deo facta. Posterior incipit ab ejus anno 75, quae quidem fulcitur libris sacris veteris atque novi testamenti. Eusebius, V. T. secutus, numerat 430 annos a repromissione usque ad exitum gentis Israel ex Aegypto („exodum“). Aeram a repromissione Eusebianam eandem esse, quam alii dicunt tempus peregrinationis gentis Israel, facile apparet. Viri docti de hac re admodum dissentiunt. Sunt qui initium hujus aerae ab introitu patriarchae Jacobi cum filiis suis in Aegyptum statuunt, sunt qui inde ab hoc introitu usque ad exitum gentem ita accrescere potuisse dubitent, ut tanta hominum multitudo emigrasset, quantam V. T. fuisse testatur. Initium peregrinationis gentis esse Abrahami peregrinationem, camque cum tempore repromissionis ipsi factae congruere, ex Eusebii sententia liquet.

Eusebius annum 75 Abrahami nati expressis verbis significat „*primum annum repromissionis dei ad Abraham*“. Et porro: „*a 75to anno Abrahae usque ... ad egressum ex Aegypto supputantur anni 430, quorum meminit Paulus ... Ipse quoque in Exodo Moyses his congruens loquitur. Habitatio autem filiorum Israhel quam habitauerunt in Aegypto et in terra Chanaan, ipsi et patres eorum, anni CCCCXXX.*“ (Canon. II. p. 13). Anni 430 a repromissione usque ad exitum ex computatione Eusebii ita disponuntur, ut ab anno reprom., i. e. 75, usque ad ingressum Jacobi in Aegyptum (a. 290 Abrah.) praeterlapsi sint 215 anni, idemque annorum numerus inde usque ad exitum (a. 505 Abr. vel 80 Mosis). Ex libr. gen. (12, 4) scimus, Abrahamum 75 annos natum, jussu dei, de Haran in terram Canaan profectum, moxque fugitivum in Aegyptum tendisse. Aera ergo peregrinationis non ab exitu de Ur Chaldaeorum, sed a profectioe de Haran statuenda est.

Quae apud Eusebium ad priorem partem aerae repromissionis (vel si vis peregrinationis) pertinent pauca sunt.

Primus annus reprom. est septuagesimus quintus (75) aetatis Abrahami; a. 12 reprom. Ismael natus; a. 25 „*cum centenarius esset Abraham genuit ex libera filium Isaac: cui supervixit alios annos 85*“; a. 85 „*sexagenario Isaac nascuntur filii genimi. Primus Esau ... Secundus Jacob qui postea Israel*“; a. 100 „*repromissionis, in quo moritur Abraham omnes annos uiuens 175*“; a. 171 „*Jacob generat Ruben*“; a. 172 „*Jacob generat Symeon*“; a. 173 „*Jacob generat Levi*“; a. 174 J. g. Judam; a. 177 (i. e. a. 252 Abr.) „*primo anno Joseph 92 annorum erat Jacob*“; a. 193 „*Joseph uenditur a fratribus annos agens 17*“; a. 206 (281 Abr.) Isaac moritur; a. 215 (290 Abr.) introitus Jacobi cum filiis suis in Aegyptum.

Haec ab Eusebio data prorsus congruunt cum libris V. T.

Inde statuitur altera quasi periodus aerae reprom., quae eadem relationi V. T. respondet.

Etenim si datis V. T. adhibitis a Levi filio Jacobi descendimus usque ad Mosis annos, etiam huic temporis spatio recte ab Eusebio 215 annos vindicatos esse comprobari potest. Levi scilicet, quem 173 a. reprom. natum esse vidimus, lib. exod. 6, 16 testatur 137 annos vixisse; anno igitur 310 mortuus est. Filius ejus Caath, ab Eusebio non memoratus, 133 a. vixit (exod. 6, 18), nepos autem Amram, Mosis pater, 137 a. natus obiit (ibid. 6, 20). De Amram Eusebius ad a. 350 reprom. (425 a. Abr.) habet: „*Hoc anno Amram generat Mosen, cum esset annorum 70.*“ Inde sequitur, Amram a. 280 reprom. (355 Abr.) natum esse. Obit ergo (137 a. aetatis suae) a. 417 repr. (492 Abr.). Itaque inter mortem (310) Levi et mortem nepotis ejus Amram numerantur anni 107. Si addideris 95 annos Levi, quos vivebat in Aegypto (inde ab a. 215), et tempus inter Amram mortuum et Mosis exitum ex Aegypto praeterlapsum efficiuntur accurate anni 215\*). Ita comprobatur Eusebii computatio.

\*) Generationi unicuique igitur conveniunt  $53\frac{3}{4}$  anni, quae ratio unius generationis eadem est inter mortem Amram (417) et mortem filii ejus Mosis (470), scil. 53.

Sed jam subsistentes in recensendis annis gentis Israel ab Eusebio usque ad exodum descriptis aggrediamur, quod gravissimum est, annos ita probatos et constitutos ad normam nostrae aerae christianae transferre, mittentes interim examinare, quomodo illos scriptor cum aliorum populorum ratione et ordine annorum comparaverit. Incipiunt enim canones cum comparatione quinque aerarum: 1. aerae Abrahami; 2. Assyriorum; 3. Hebraeorum; 4. Sicyoniorum; 5. Aegyptiorum; ita ut primus annus Abrahami nati sit item primus Hebraeorum, et primus XVI. dynastiae Aegyptiorum; 43 a. vero Assyriorum et 22 a. Sicyoniorum. Assyriorum aera remotissimum habet initium; aera Hebraeorum incipiens a gentis exordio usque ad annum 100 iisdem annis decurrit juxta annos Abrahami. Inde anni singulorum patriarcharum separatim juxta annos Abrahami computantur. At Abrahami aera per totum opus usque ad finem universae temporum descriptionis exordium est atque constans regula.

Anni autem ab Abrahamo ita ad rationem aerae christianae revocantur:

Est annus **2015** (a nato Abrahamo), quo ex sententia et computatione Eusebii dominus noster Jesus Christus natus est. „*Jesus Christus filius dei Bethlehemi Judaeae nascitur. Simul colliguntur ab Abraham usque ad nativitatem Christi anni MMXV.*“ (Canon. II, p. 144 et 145.)

Invertamus jam hanc computationis rationem ita, ut dicamus: Abrahami annus primus est a. **2015** ante Christum natum. Omnia igitur data, quae ex aera Abr. fixa sunt, ad hanc legem in annos aerae christianae facile transcribi possunt. Ita ex mente Eusebii Abraham natus est a. 2015 a. Ch., accipit repromissionem a deo a. 1940 a. Ch.; Jacobus proficiscitur in Aegyptum a. 1725 a. Ch. etc.; exitus Israel de Aegypto a. 1510 a. Chr.

Jam quaestio vertenda erit, quo tandem fundamento Eusebiana computatio fulciatur. Propriam apud Hebraeos, per tempus regum usitatam, fuisse aeram exodi, V. T. ipsum testatur.

Locus III. reg. 6, 1: „*Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Aegypti, in quarto anno, mense Zio (ipse est mensis secundus), regni Salomonis super Israel, aedificari coepit domus Domino*“ certissimum fundamentum esset ad probandam rem, de qua agitur, si in constituendis annis Salomonis regni et successorum non tanta esset inter viros doctos dissensio. Eusebius initium templi Salomonis ponit in a. 984 Abr., i. e. **1031** a. Chr. „*Salomon templum in Hierusolimis aedificare coepit consummavitque opus anno VIII. Colligitur autem omne tempus a Moyse . . . usque ad praesentem annum (scil. 984) anni CCCCLXXX, ut regnorum liber tertius testimonio est.*“ (Can. p. 63.)

Intervallum exodum inter et templum inceptum (aeram templi) ita Eusebius describit, ut annos Mosis post exitum (40) et Josuae (27) et annos judicum ab Othoniele usque ad Samuelem Saulumque (328; accuratius 329) numerans summam 395 (vel potius 396) annorum faciat, cui si adduntur anni Samuelis Saulique (40), Davidis (40) atque quatuor anni Salomonis (nam quarto ejus anno templum inceptum est), efficiuntur universi 480 illi anni (vel 479), qui loco reg. laudato traduntur.

Attamen aliis testimoniis, imprimis libri judicum, praeter libros regum edocti in Eusebii ratione acquiescere non possumus, eo minus, quum Eusebius sibi ipse non constet. Monendum est enim, res ab ipso in chronicis, qualia ex versione Armenia et fragmentis graecis cognoscimus, traditas cum ordine rerum chronicorum in canonibus descripto crebrius non congruere. Quum in chronicis intervalla inter singulos judices, dum gens Israel alienigenis gentibus serviret, recte numerantur, in canonibus, neglecto testimonio libri jud., anni interjecti annis judicum adnumerantur, uti expressis verbis variis locis additur. Ita ad a. 820 Abr. dicit: „*Post Jair Hebraeos in dicionem suam redigunt Ammanitae ann. XVIII, qui cum temporibus posteriorum Judicum copulantur secundum Judaeorum traditiones.*“ Can. p. 53. Ad a. 841: „*Post Labdonem tenebant Hebraeos alienigenae annis XI qui una cum*

*temporibus posteriorum Judicum computantur secundum Judaeorum traditiones. In quibus erant et res Hruth.*“ *ibid.* p. 54.

Quae autem in chronicis (p. 102. edit. Schoene) intervalla annotantur, ea ad verbum cum numeris lib. jud. congruunt. Ex annis autem alienigenarum post mortem Josuae conficitur summa 111 annorum, quam si addideris ad annos 339 judicum regnantium, quos V. T. habet, pro 329 apud Eusebium (canon.), invenies universos 450 annos, uti etiam chronicis (l. c. p. 103) recte notatur. Uti enim Eusebius annos alienigenarum non computavit, ita etiam summa annorum judicum regnantium apud eum cum V. T. non congruit. Nam quum series judicum Eusebiana (canon.) 329 annos complectatur, libro jud. accurate numerantur 339 anni. Eusebius enim, quod mirum est, in canon. (non autem in chron.) omisit Ealon (Ahialon, vulg. jud. 12, 11), cum 10 annis, post Esebon; omisit autem consulto, sine dubio ut denique servaret 480 annos lib. reg. Quasi defensurus se dicit ad a. 833 (can. p. 53): „*Post Esebon in libro Hebraeorum fertur iudex Aealon rexisse populum ann. X qui non habetur apud LXX interpretes.*“ Quae notatio eo magis offendit, quod LXX l. c. iudicem Αἰλώμ cum 10 annis habent\*). Propter hos ab Eusebio omissos 10 annos universa ejus chronologia mutatur, ita ut e. g. reges singuli 10 annis suo loco moveantur, Salomonis igitur initium non, ut Eusebius vult, in a. 1034 (981 Abr.), sed in a. 1024 ponendum sit.

Anni igitur judicum post mortuum Josuam 450, quos comprobatos esse vidimus, testimonio St. Pauli apostoli prorsus confirmantur. Ex sententia apostoli (act. 13, 18 seqq.) post exitum gens Israel 40 circiter annos degebat in deserto; v. 19, bella contra gentes in Chanaan; distributio terrae (numerus annorum non additur); v. 20, post haec tempus judicum usque ad Samuelem per quadringentos et quinquaginta circiter (ὥς) annos; v. 21, inde regnum Sauli 40 annorum. Tempus post 40 annos in deserto transactos usque ad iudices (i. e. tempus quo Josua gentem regebat) ex Eusebii sententia continet 27 annos, pro quibus Josephus Flavius 25 habet; sed ex ipsius Eusebii computatione statuendi sunt 26 a., ita ut universum ab exitu ad obitum Josuae tempus colligatur 66 annorum; inde, ut vidimus, ad Saulum 450 anni subsequuntur. A Saulo autem ad aeram templi Salomonis praeterlapsi sunt 84 anni. Atqui ab exitu usque ad templum inchoatum 600 habemus annos, pro quibus canones Eusebii 480 annos libri III reg. tenent, quamquam scriptor haec omnia quae enarravimus bene novit. Chron. enim (I. p. 101. ed. Schoene) loco apostoli usus eandem facit summam. „*Quod si, scribit, etiam Mosis annos quadraginta in deserto addas, atque Jesus filii Navis (i. e. Josuae) XXVII annos, cuncti simul juxta Apostoli supputationem fiunt anni DC.*“ Et praefatione canon. (II, p. 9) a Mose usque ad primam aedificationem templi . . . „*juxta volumen judicum supputantur anni DC.*“ Qua in ratione tamen mirum est, quod Eusebius summam faciat 600 annorum, non 601, uti debebat, quoniam Josuae 27 annos attribuit.

Quum igitur et aeram exodi et templi accuratius ita descriperimus, ut initium Salomonis ex hac computatione ad annum 1024 a. Chr. referendum sit atque templi exstructio ad a. 1020, sequitur, 600 annis prius exitum ex Aegypto statuendum esse, et ex hac norma caeteros apud Eusebium numeros annorum mutandos.

Sed in hac gravissima de aera templi disquisitione paulum etiam subsistamus. Eusebius templum inceptum esse tradit a. 984 Abr., qui est ad ipsius rationem reductus a. 1031 a. Chr. Haec sententia alia etiam computandi ratione, ac supra adhibita est, reprobanda est. In enarrandis digerendisque regibus, qui post Salomonis obitum regnique ejus divisionem et in regno Juda et in regno Israel regnaverunt, Eusebius titubat propter annorum in V. T. descriptorum varietatem. Regnum et Roboami

\*) In editione Tischendorfiana ne varia quidem lectio notatur.

(Rehabeami) et Jeroboami (Jerabeami I.) utrumque statuit eodem anno, a. 1021 Abr., i. e. 994 a. Chr. initium habuisse. Finem regni Israel cum rege Osea (Hosea) ponit in anno 1270 Abr., i. e. 745 a. Chr., ita ut 249 annos constitisset. Hunc numerum, non quidem 249, sed 250, expressis verbis testatur „regum series“ secundum St. Hieronymi codices (in appendice I. apud Schoene I. p. 33); atque versio Armenia ad a. 1270 habet: „*Duravit autem regnum in Samaria annis CCL.*“ (ibid. II. p. 80). Neque hanc rationem probabis, quoniam tempus regni Israel dissoluti a viris doctis jam in annum 722 a. Chr. (quidam volunt 721) stabilitum et extra dubium positum est. Eusebium aequalitatem annorum, quam V. T. expressis verbis testatur, neglexisse mirandum est. Quamquam enim sexto anno Ezechiae (Hiskiae) regis Judae, qui fuit nonus et ultimus regis Oseae, regnum Israel interiisse constat, tamen Eusebius nonum Oseae annum facit aequalem undecimo anno regis Achaz (Ahas) Judae; sextus autem annus regis Ezechiae apud eum tandem est a. 1281 Abr., i. e. 734 a. Chr. Itaque ex hac ipsius Eusebii ratione interitus Israel non anno 745, quem supra invenimus, sed a. 734 adscribi debebat\*), sed neuter annus probandus est. Unus est nonus annus Oseae, alter sextus Ezechiae, qui iidem esse debent; at neque unus neque alter re vera est ultimus regni Israel. Quomodo fieri potuerit, ut Eusebii temporum descriptio tantum ab usitata comprobataque computatione abeat, non difficile est perspectu. Utitur enim, ut summas annorum, quibus ad universam suam temporum digestionem opus ei erat, efficeret, non constanter eodem textu librorum V. T., unde evenit, ut divisio regni Salomonis, ac perinde etiam interitus regni Israel, c. duodecim annis prius poneretur. Numeris annorum singulorum regum Judae inde ab Roboam usque ad finem Sedeciae (Zedeciae), quales V. T. traditi sunt, accurate computatis efficitur summa 393 annorum, mensibus et diebus non simul computatis. Ex ratione Eusebiana (inde ab a. 1021—1426 Abr.) autem sunt 405 anni, quae discrepantia est 12 annorum, quae non esset, si non lectione LXX usus hic illic textum hebraicum deseruisset. Primum dat reginae Athaliae (quam ex LXX lectione Gotholiam nominat) septem annos, pro sex ex vulgari computatione; tum regi Amon tribuit 12 annos pro duobus, ipse adjiciens: „*Amon secundum LXX senum\*\*)* interpretationem XII annis regnavit, secundum Hebraeos annis II.“ (II. p. 87); tandem Josiam 32 annos regnantem facit pro 31. Inde discrimen 12 annorum ortum est, quod si ab a. 734 detrahatur, annus 722 restituitur. Quomodo autem Eusebius in illum annum 745 incidere potuerit, facile demonstrari potest. A rege Assyriorum Tiglath-Pileser, regnantibus Achaz in Juda, Phacee in Israel, pars septemtrionalis Israelitarum capta et deducta est in Assyriam (reg. 4, 15, 29, cf. 16, 7 et 9; par. 1, 5, 6 et 26, cf. 2, 28, 20 et 21), quod factum Eusebius falso ad a. 1243 Abr., i. e. 772 a. Chr. adnotat, revera autem circa illum fere annum (745) evenit. Primam igitur deductionem partis Israelitarum et secundam, qui fuit finis regni, computando confudit, neglecta aequalitate temporum regum Judae et Israel, qualem V. T. testatur. Ita explicatur Eusebii confusio atque discrepantia a vulgari et satis probata annorum regum ratione.

Duodecim illi anni, qui ex discrimine inter annum 734 Eusebianum et emendatum nostrum 722 efficiuntur, addendi sunt annis 249 vel 250, quos ex Eusebii sententia regnum illud constitisse supra vidimus, ita ut summa 261 vel potius 262 annorum redundet, quos etiam recta annorum regum computatio efflagitat.

Non eadem ratione, qua seriem regum Judae 12 annis auxit, in describendis regum Israel annis utitur, quare aequalitatem annorum turbavit. Ab initio Jeroboami (i. e. 1021 Abr.) usque ad

\*) Ad hos diversos annos jam hoc loco notamus, regnum, si re vera ab anno 994 constitisset per 249 (vel 250) annos, interisse utique a. 745 (vel 744); si vero 734 interiisset, incepisse 984 oportere.

\*\*\*) At Tischendorffii textus, reg. IV, 22, 19, habet *δύο ἔτη*, et non nisi in nota varia est lectio *δώδεκα*.

sextum annum Ezechiae (i. e. a. 1281 Abr.) ex Eusebii ipsius ratione praeterlapsi sunt non 250, sed 260 anni, qui tamen numerus additis mensibus et diebus supra annos aliquanto augetur, ita ut eadem facile summa annorum (262) conveniat, quam ex serie regum Judae collegimus. Itaque exordium regni Israel, quod a. 722 a. Chr. interit, recte ad a. 984 a. Chr. (722 + 262) referendum esse liquet. Templi igitur, quod 36 annis ante (i. e. quarto a. Salomonis) construi coeptum est, aera computanda est ab a. 1020 a. Chr.

Quoties et quantum Eusebius in canonibus constituendis ipse a suis chronicis abire soleat, vel etiam in describendo templi exstructi tempore perspicitur. Canones Salomonem templum coepisse aedificare a. 984 Abr., i. e. 1031 a. Chr., (II p. 62) tradunt. Ad annum 1426 Abr. (i. e. 589 a. Chr.) dicit: „*Primus annus captiuitatis gentis Judaeorum, quo rex Chaldaeorum Hierosolymis obsessis templum igne vastavit. Permansit templum annis CCCCXLII.*“ (ex vers. Armen. p. 92). „*Nabuchodonosor, rex Chaldaeorum Hierosolymis captis templum incendit, quod ab initio aedificationis suae manserat ann. CCCCXLII.*“ (ex vers. St. Hieron. p. 93). Ad a. 1496 Abr. (i. e. 519 a. Chr.): „*Secundo anno Darii regis templum in Hierosolymis extruitur ab Zorobabel consummaturque opus ann. IIII.*“ (ib. p. 99).

Ex hac Eusebii ratione, quum templum a. 1031 a. Chr. aedificari faciat, recte abinde usque ad a. 589 computantur 442 anni. At anno 1031 in a. 1020 mutato efficiuntur 431 a., si quidem annum destructionis, quem Eusebius statuit — 589 a. Chr., pro vulgari 586 — tenemus.

Quum secundus Darii annus ex Eusebii canon. idem sit atque a. 519 a. Chr., quumque idem chron. dicat: „*Verum summa temporis (omne tempus) a Salomone, et a prima aedificatione templi, usque ad secundum annum Darehi Persae, et templi restorationem colligitur ad annos DII*“ (vers. Armen. l. c. I. p. 126), vere invenitur annus 1021, non, ut canones habent, 1031. Templum ergo non 442, sed 432 a. constituisse inde sequitur.

Porro chron. l. c. tradunt: „*A secundo autem Darehi, qui erat primus annus sexagesimae quintae Olompiadis, colliguntur Olompiades CXXXVII. et anni DXLVIII. (sc. usque ad Christum)*“. In nota: „*usque ad Salvatoris nostri manifestationem quinto decimo anno Tiberii factam.*“ „*Tiberii decimus quintus annus erat, (cum Salvatore et) dominus noster, Jesus unctus Dei, apparuit in hominum vita, quarto anno CCI. Olompiadis*“ (ibid. p. 129; simili modo etiam canon. ad a. 2045 Abr. tempus constituitur). Si igitur inter primum praedicationis Jesu Christi annum, qui est annus 30 p. Chr., et secundum annum Darii 548 anni numerandi sunt, ille secundus Darii annus non, ut supra ad a. 519 a. Chr., sed ad a. 518 referendus est.

Illi item 502 anni (quos chron. inter utriusque templi initium statuere supra vidimus) a. 518 a. Chr. indicant. Revera tamen secundum annum Darii, i. e. regni Babylonici, esse annum 516 a. Chr. dubitari nequit.\*) Accuratius ergo tempus, per quod templum Salomonis stetit, 434 annorum (inde ab a. 1020—586 a. Chr.) statuendum est. Abhinc (ab a. 586) computantur 70 anni vastationis templi (usque 516).

Josephus Flavii, quo Eusebius saepenumero utitur, temporum computationes multoties cum ratione aliorum chronographorum discrepare notum est. Quamquam eum aut incuria aut levitate aut consulto ad finem, quem forte sequitur, multum peccasse negari nequit, quatenus non ex mendis librariorum excusandus erit, tamen hoc unum, quod proxime ad nostram rem pertinet, praetermittere non possumus, causam primariam discrepantiae chronologiae Josephi cum aliis historicis in eo positam esse, quod diversis operum suorum locis Salomonem 80 annos pro 40 a. regnantem facit. Si

\*) Darius Hystaspis, rex Persarum, regnabat (ex canone Ptolemaei sive Alexandrino) 226—262 aer. Nabon., i. e. 521—485 a. Chr. Initium regni ejus Babylonici censendum est ab urbe Babylone a. 518 recuperata, secundus ergo a. est 516.



igitur bell. Jud. VI., 4, 8 tradit: „*Et a prima quidem structione templi, quam Solomon rex inchoauerat, usque ad eius excidium, quod secundo imperii Vespasiani anno accidit, colliguntur anni MCXXX, itemque menses VII, et dies XV.*“ (e vers. lat. editionis Oberthür), nostra computatio omnino confirmatur.\*) Etenim si ab a. 1130 abstraxeris 70 annos p. Chr. (i. e. secund. a. Vespasiani), itemque 40 a., quos Salomoni superaddidit, aera templi, a. 1020, plane etiam ab Josepho probatur.

Ita numeri annorum, quos quasi cardinales constituimus, ex omni parte firmantur.

Quantumvis etiam argumentis huc usque discussis anni praecipui, circa quos omnis fere V. T. chronologia vertitur, imprimis autem Salomonis anni, constituti ac probati sint, fuerunt tamen, praecipue recentiore tempore, qui Salomonem multo post annos, quos nos invenimus, vixisse contendunt idque gravibus, ut videtur, argumentis probare studeant. Id eo evenit, quod testimonia profanorum scriptorum pluris pendentes quam quae sacra scriptura tradita sunt, discrimina inter fontes ita componi posse arbitrantur, ut ex illis testimoniis, quasi e norma, traditiones s. script. mutare, quam de fide Graecorum Romanorumque scriptorum aut inscriptionum quarundam dubitare malint.

Illi autem ipsi fontes, si recte intelliguntur atque usurpantur, non solum V. T. non repugnant, sed etiam gravissima ejus fidei praebent argumenta.

Ad quam rem probandam, ideoque ad alteram quasi libelli nostri particulam nos accingentes, ex tribus diversis fontibus, scilicet quos Phoenices, Aegyptii et Assyrii, qui gentem Israel multifariam contigerunt, reliquerunt, ea, quae ad historiam regnorum Judae et Israel pertinent, quantum poterimus breviter strictimque, proponemus atque examinabimus.

Quod primum ad Phoenicum fontes attinet, maximi sunt momenti ad nostram quaestionem, praecipue ad aeram templi constituendam, annales Tyrii (*τὰ παρὰ Φοίνιξιν ἀναγεγραμμένα; γράμματα δημοσίῃ γραφέντα; Φοινίξια τὰ γράμματα*).

Quae ex his documentis Eusebius in chron. (I. p. 113—119) descripsit, transumpta sunt ex Josepho Flavio contr. Apion. 1, 17, qui testem producit Dium, „*virum qui Phoenicum historiam accurate scripisse creditur*“. Dio et Menandrum Ephesium autorem adjungit, „*qui e Phoenicum lingua Tyriorum tabularia (τὰ Τυρίων ἀρχεῖα) in sermonem Graecum transtulit*“. Iisdem locis ex Menandro et Dio\*\*) petitis Josephus utitur antiq. Jud. (8, 5, 3; 8, 13, 2), ubi aedificationem templi atque consuetudinem Salomonem inter et Hiramum perscribit.

Quae ex hoc fonte Tyrio ad nostram rem redundant, latine versa, breviter haec sunt: „*Scriptum est (scil. in illis documentis), a Salomone rege Hierosolymis templum fuisse constructum annis CXLIII et mensibus octo, priusquam a Tyriis Karthago conderetur . . . .*“ Porro (ex Dio et Menandro): „*Abibalo vita functo Hiromus (Chirom, haebr.; Hiramus, Vulg.; Ἐῤρωμος, Jos.; Χιράμ, LXX. var. Χειράμ; Ἐῤρωμος Tatian l. c.) filius ejus regnum excepit, qui vixit annos LXXX, regnavitque annos XXXIV, . . . . Computatur vero tempus ab hoc rege usque ad Karthaginis exstructionem hoc modo: Hiromo defuncto in ejus regnum successit Balezarus ejus filius . . . . .* (sequitur regum series usque

\*) Quae loco cit. statim sequuntur: „*A posteriore autem (scil. structione), quam anno secundo Cyri regis Aggaeus fecerat, usque ad excidium illius sub Vespasiano, anni DCXXXIX, et dies XLV*“ fidem Josephi parum commendant; nam a. 569 a. Chr., qui detractis 70 annis post Chr., ex illis 639 annis evenit, nec ad Cyrum, neque ad Darium (quem nominare debebat) referri potest.

\*\*) Edita sunt fragmenta Aelii Dii, Menandri Ephesii aliorumque quos citat autorum, pleraque ab Josepho ipso servata, a Carolo Mullero, fragg. historic. Graec. (Paris. 1851. vol. IV. inde a p. 278), inter scriptores aetatis incertae. — Menander apud Clement. Alex. (strom. I. p. 140, 8.) narrat, Iramum filiam suam Salomoni in matrimonium dedisse (p. 447). Idem refert Eusebius, praepar. evang. X, 11, 9, ex Tatiano, qui recurrit ad Laetum, rerum Phoenicum scriptorem.

ad Pygmalionem) ... *Pygmalionis regni anno septimo soror ejus fuga elapsa in Libya condidit Karthaginem. Itaque colligitur omne tempus a regno Hiromi usque ad conditam Karthaginem ad annos CLV et menses VIII. Quum vero anno XII. Hiromi regis Hierosolymis aedificatum sit templum, fuerunt a templi aedificatione usque ad exstructionem Karthaginis anni CXLIII et menses VIII.*"

Imprimis igitur de tempore Karthaginis conditae agitur. Karthaginem a. 146 a. Chr. deletam esse constat, sed de exstructionis tempore est dubium.

Scriptores plerique et veteres et recentiores Karthaginem a. 814 a. Chr. conditam esse statuunt, quae quidem sententia fulcitur autoritate Timaei, quae in rebus chronologicis maxima habebatur. Timaeus enim Siculus (c. 300 a. Chr.), cujus canonem historici (inter quos Vellejus Paterculus), relicta vaga illa ex generationum serie tempora computandi ratione, plerique postea secuti sunt, dicit, ut ex Dionysio Halicarn. antiq. rom. 1, 74 scimus, constitutionem Romae incidere in idem tempus quo Karthago condebatur, in annum videlicet trigesimum octavum ante primam Olympiadem. Sic efficitur a. 814 (776 + 38) a. Chr., qui tamen annus ex mente Dionysii, qui addit, se nescire quam regulam Timaeus secutus sit (*ὄντ' οἷδ' ὄτ' ἐν κάρου χροσάμενος*), conjectura tantum nititur.

Tempus Karthaginis conditae cum Lycurgi aetate componitur. Plutarchus, Lycurg. c. I., dicit, Timaeum suspicari duos Spartaey Lycurgos diversis temporibus fuisse, in quorum alterum ob ejus claritatem res gestas collatas utriusque esse, ac majorem certe non longe fuisse infra Homeri aetatem; qua conjectura suum canonem vindicare voluisse videtur.

Quatenus inter Romanos Cicero de tempore Karthaginis fundatae et de duobus Lycurgis persuasioni vel conjecturae Timaei faveat, e fragg. libri de republ. cognoscimus. Dicit II, 23 (edit. Frid. Osanni): *„Karthago urbe Roma) quinque et sexaginta annis antiquior, quod erat XXXVIII ante primam Olympiadem condita. Et antiquissimus ille Lycurgus eadem vidit fere.“* — *„id quod Graecorum investigatur annalibus Roma conditast secundo anno Olympiadis septimae. ... Nam centum et octo annis postquam Lycurgus leges scribere instituit, prima posita est Olympias; quam quidam nominis errore ab eodem Lycurgo constitutam putant. Homerum autem quei minumum dicunt Lycurgei aetatei triginta annis anteponunt fere.“* ibid. II, 10.

Ex Ciceronis igitur sententia antiquissimi Lycurgi, qui re vera est unus ille legislator, tempus incidit in a. 884 a. Chr. (776 + 108), qui idem annus etiam et Apollodori et Eratosthenis computatione de reditu Heraclidarum efficitur\*).

Ex anno igitur 814 a. Chr., e Timaei canone petito, si ad eum annales Tyrii accommodantur, facile illa persuasio oriri potuit, a qua proficiscentes non pauci recentiorum scriptorum Salomonis annos cum Hiram ad multo propiora tempora transferre non dubitaverunt. Si vulgaris ratio annorum Karthaginis ex aera Timaei (814—146) recta esset, stetit illa urbs 668 a. atque Salomon (ex annis 143 annalium Tyr.) coepisset templum aedificare a. 957/58, regnare 961/62\*\*).

\*) A veteribus ita computatum est: Catone teste (apud Dyon. Halicar. 1, 74) anno 432 post Trojae casum, Olym. VII., Roma condita est. Ea est aera Catonis, 751 a. Chr., quam sequitur Eusebius, qui ad hunc annum habet: *„Roma Parilibus qui nunc dies festus est condita Ol. VI, 4.“* (Ol. VII, 2 apud Cic. l. c. annum 749 efficit!). Trojae igitur excidium incidit in a. 1183 (432 + 751), qui idem fere annus (1184) ex Eratosthene (408 a. ante Ol. I., quibus addendi sunt 776), quem plerique sequuntur, evenit; reditum Heraclidarum 80 annis post, i. e. in a. 1103 a. Chr., incidere omnes consentiunt; abhinc autem usque ad Lycurgum Apollodorus et Eratosthenes computant 219 annos, qua ratione invenitur annus 884 a. Chr.

\*\*) Inter illos, qui, maxime monumentis Assyriis innisi, non solum in Salomonis tempore constituendo testimonia V. T. negligunt, sed etiam annos regni ipsius minuunt, est F. Hommel (Abriss der babyl.-assy. Gesch. p. 4 et 16). Is, opinionem J. Wellhausen (die Zeitrech. des B. der Könige, in Jahrb. f. dtische. Theol. 1875) sumens, regno Salomonis tantum 30 a. concedit eundemque ab a. 960—930 regnantem facit, quam opinionem praeterea locis a nobis supra laudatis

At alii iidemque certissimi sunt testes, qui multo plures annos Karthaginem constitisse tradunt. Livius in libro LI. interitum Karthaginis enarravit. Epitome ejus libri habet: „*Qui (scil. Scipio) tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita.*“ Livium secutus est Eutropius IV, 12: „*Ita Carthago septingentesimo anno postquam condita erat, deleta est.*“ Velleius Paterculus, aeram Timai secutus, circa idem tempus vixisse opinatur Arbacem Medum, Lycurgum, Elissam (conditorem Karthaginis), Caranum Macedonem, Hesiodum (I, 6 et 7)\*).

Lycurgum conditoremque Karthaginis aequales fuisse concedimus, simulque autem inde concludimus, Karthaginis exstructionem ad prius tempus quam ad a. 814 removendam esse, nam a. 814 nullo modo ad Lycurgum aptari potest.

De Lycurgi tempore gravissima argumenta\*\*), quorum plura jam protulimus, conveniunt in a. 884 a. Chr. Testibus annumeramus etiam Livium, qui ad a. 189 a. Chr., quo anno Lacedaemonii Achaeis obnoxii facti sunt, dicit: „*Per haec velut enervata civitas Lacedaemoniorum diu Achaeis obnoxia fuit. Nulla tamen res tanto erat damno, quam disciplina Lycurgi, cui per septingentos annos assueverant, sublata.*“ 38, 36. cf. 39, 33 et 37. Ex Livii igitur persuasione Lycurgus c. a. 889 vixit. Diodorus Siculus (XV, 1 et excerpt. libr. VII) tradit a Lycurgi tempore ad pugnam usque Leuctricam (371 a. Chr.) plures quam 500 a. praeterlapsos esse. Plutarchus etiam (in vita Lycurgi, c. 29) Lacedaemonios per 500 a. principes fuisse Graeciae dicit. Ex hac ratione a. 871 a. Chr. efficitur. Ex hisce igitur annis, parum diversis, conjicere licet, etiam Karthaginem circa hoc tempus conditam esse, inter a. 889 et 871 a. Chr.

Eusebius in hac quaestione valde dubius est et sibi non constans. Eisdem fere aequales habet, ac Vellejus Paterculus: Arbacem, Lycurgum, Hesiodum. De tempore exstructae Karthaginis quatuor diversis locis diversa memorat, ad annos 1211, 1041, 1010, 951 a. Chr.! Quae discrimina solvere nos non tentabimus. Nihilominus tamen ad a. 1871 Abr., qui vero non est a. 146 a. Chr., sed a. -144, urbem illam 668 annos (ut aera Timaei postulat) stetisse dicit (sed incertus atque inconstans hisce verbis: „*Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur habens a conditione sui ann. DCLXVIII — var. lect. DCLXVIII — ut vero alii adfirmant DCCXLVIII.*“), quasi non locis cit. tantopere vacillaret, sed apud eum constaret Karthaginem conditam esse a. 812 a. Chr. (pro 814). Lycurgum autem ter memorat et ad a. 792 et 817 et 881 a. Chr., quasi plures fuissent Lycurgi, uti jam Timaeus et Cicero duos Lycurgos statuerunt. Praeter haec Eusebius, praepar. evang. X, 11, 21 c Tatiano tradit Lycurgum 100 annos ante Olympiades leges dedisse, quod igitur c. a. 876 factum esset.

Quamquam igitur ex Eusebio vix quidquam hac in quaestione profici potest, tamen rectius jam tempore Karthaginis conditae stabilito, annales Tyrios cum traditione V. T. tantopere congruere

Menandri (sive annalium Tyriorum) confirmari contendit, aeram Timaei recipiens. Ad illos pertinent H. Brandes (Abhandl. zur Gesch. des Orients im Alterth. p. 118), qui Salomonem 929 a. Chr. mortuum esse efficit; v. Gumpach (Zeitrech. der Babyl. u. Assyr.): Salomon 976—937; Kruger: 997—957, E. v. Bunsen (Bibl. Gleichzeitgk.): 974—934 al. At alii et ipsi doctissimi historici propius ad nostram rationem accedunt, uti Loebell (Weltgesch. in Umriss. I, 242) et Winer: 1015—975; Ewald (Gesch. d. Volk. Isr.) et Eisenlohr (Das Volk Isr.): 1025—986; Weber (Das Volk Isr.): 1020—980; Oppert (Salomon et ses successeurs): 1017—978.

\*) Hos aequales ita conjungit: Arbacis aetate clarissimus Graii nominis Lycurgus floruit. „*Hoc tractu temporum ante annos quinque et sexaginta quam urbs Romana conderetur, ab Elissa Tyria, quam quidam Dido autumant, Carthago conditur*“ (ergo si putat a. 814, Roma condita esset 749, quam Ciceronis esse rationem supra vidimus). „*Circa quod tempus Caranus. Hujus temporis aequalis Hesiodus fuit.*“ relq.

\*\*) Vide etiam libros, quos K. F. Hermann (Lehrb. der griech. Alterth. § 23, 9) citat.

cognoscimus, ut eam potius comprobent, quam improbent. Etenim si Karthago 143 a. (omissis mensibus) post templum Salomonis (1020) condita est, necesse est id factum esse a. 877 a. Chr., constitisse autem illam urbem, a. 146 deletam, per 731 annos.

Simili modo nec majore jure etiam ex Aegyptiorum historia argumenta contra chronologiam V. T. petita sunt. Pauca tantum ad Salomonis historiam illustrandam proponamus\*).

Ante mortem Salomonis Jeroboam in Aegyptum ad regem Sesacum (Sisak, Schischak; Sesac Vulg; *Σουσακίμ* LXX — var. lect. *Σουσακίμ* —; *Σούσακος* Jos. Flav.) confugit (III. reg. 11, 40). Idem rex Sesacus Roboamo, quintum annum regnanti, bellum intulit (III. reg. 14, 25; II. par. 12, 1—9). Hunc regem Aegypti fuisse Sesonchim, primum dynastiae XXII., constans interpretum opinio esse videtur. Quum ex vulgari computatione rex Sesonchis (Sesonchosis, Sysonchosis, Sencoris, Sensecoris; Scheschonk, Scheschenk, Schischonk, uti ex monumentis legitur\*\*); — scriptio nominum regum, de quibus hic agitur, mirum quam varia est!) c. ad annum 934 a. Ch. referatur (v. Manethonis fragg. apud C. Muller, fragg. hist. graec. II. p. 604\*\*\*), Salomon Aegyptio cedere debuit, ipseque ad annum Sesonchidi conformem transferri! Ad quod primum monendum est, annos dynastiarum Manethonis singulorumque regum a viris doctis ita varie constitui, ut norma chronologiae aliarum gentium minime haberi possint. Sed, quod gravius est, Sesonchim, ut tantum ex nominum similitudine conclusum est, ne illum quidem regem Aegyptium Salomonis aequalem, de quo agitur, fuisse judicamus. Eusebium ipsum ita judicasse apparet. Susakim sive Sesacus, aequalis Salomonis, ei prorsus alius rex est ac Sesonchosis, quem demum ad a. 1143 Abr. (872 a. Ch.) juxta regem Josiam habet. In canonibus aequalis Salomonis est rex Smendes (Smendis, Smedes, Semendis, Amendis, Amedes, Mendis, uti apud scriptores varie legitur; in monumentis non inventus est) primus dyn. XXI., a. 1002 a. Chr., cui ejusmodi nomen vel cognomen fuisse potest, quale V. T. tradit. Quod nos conjicimus, invenimus in canone Syncelli expressum, qui Smendis loco habet Susakim (*Σουσακίμ*) primum dyn. XXI. regem cum 34 annis. (Muller, fragg. hist. graec. II, 610; Migne, St. Hieron. op. VIII. p. 95).

Apud Manethonem annus dynastiae XIX. postremus est idem annus atque excidii Trojae, i. e. a. 1184 a. Chr. Ejus dynastiae rex ultimus Thuoris a veteribus (Manethone, Africano, a quibus

\*) Aegypti reges antiquorum temporum inde ab Josepho patriarcha solo regio nomine Pharaonis, non proprio nomine appellantur. — Salomon filiam Pharaonis uxorem duxit (reg. 3, 3, 1). Ex Eupolemo, Judaeo Graeciensi secundi saeculi a. Chr., ad Alexandrum Polyhistorum (Mulleri fragg. III, 225) et inde ad Eusebium (praep. evang. 9, 30) fama transiit nominis hujus regis, Uaphris, qui cum Salomone per literas collocutus esse dicebatur. Quae res ficta cum epistola Salomonis ad Hiramum missa (apud Josephum Flavium, antiq. Jud. 8, 2, 6) eundem fidei gradum obtinet. — Asae, secundi post Roboam regis Israel (964—923), aequalis occurrit (par. 2, 14, 9) Zerach seu Zare, Aethiops, quem ad proximos successores Smendis numeramus, si quidem recte pro Osarkon habetur. Chr. C. J. Bunsen (Aegyptens Stellung, III, 133; cf. Hommel, Abriss p. 5.; Wellhausen, Gesch. Isr. 1, 216) Osarkon XXII. dynastiae attribuit, sed etiam in XXI. dyn. hoc nomen reperitur. — Qui praeterea Aegypti reges posteriorum temporum in V. T. occurrunt, vix ullam comparationi temporum afferunt difficultatem: Sua seu So (reg. 4, 17, 4), i. e. Sabacon, Schebek; Tharaca (reg. 4, 19, 6, Isai. 37, 9), i. e. Tarkos, Tirhaka; Nechao (reg. 4, 23, 29 etc.) i. e. Nekos, Neku; Ephree s. Chaphra s. Uaphre (Jer. 44, 30) i. e. Uaphris, Hophra, Apries (apud Herod.).

\*\*\*) Joseph. Flav. ad magnum illum Sesostrim recurrit, dicens antiq. Jud. VIII, 10, 2. „*Deus autem Susacum Aegyptiorum regem mittit, qui contumeliarum in ipsum poenas exigeret, de quo in errorem lapsus Herodotus ejus res gestas Sesostridi attribuit.*“ Fuerunt, qui Susennem (Susemnam, Psusemnam) ultimum dyn. XXI. pro Susakim haberent (Migne, op. Hieron. VIII. p. 311, 327). Syncellus Sesonchim non habet, sed pro eo primum XXII. dyn. Petubastem s. Petubatem, qui est apud Manethonem primus XXIII. dyn. Ita vagus et incertus est ordo regum illius temporis.

\*\*\*\*) Cf. E. v. Bunsen, Gleichz. p. 139, qui habet: Scheschenk I. 948—914 a. Chr. Apud Hommel, Abriss p. 4, est a. 927 a. Chr., quo Scheschenk Jerusalem oppugnabat.

Eusebius accepit, Syncello, al.) pro Polybo Homeri (Odys. 4, 126) habetur, ad quem post Trojae casum Menelaus, Helenam cum Paride delatam in Aegyptum investigaturus, venisse perhibebatur. V. Herod. II, 113 seqq.

Dynastiae vigesimae Eusebius 178 a. attribuit, quos inter viros doctos Chr. C. J. Bunsenius probat (Aegyptens Stellung III., cf. Muller, l. c. p. 589). Dynastiae XXI. primum locum obtinet Smendes (qui est par Eusebii Susakim) cum annis 26 (vel 34 apud Syncellum), cujus initium igitur ex hac ratione in a. 1006 a. Chr. (vel 1002, ut Eusebius in canon. computat) ponendum est, ita ut hujus regis, quaecumque verum ejus nomen est, anni et in Salomonis et in Roboami tempora, quae constituimus, incidant. At de Aegyptiorum regibus illorum temporum, quiqui fuere, minus novimus, quam ut aliquid ex rebus gestis eorum concludamus; nec similia nomina nobis tanti momenti esse possunt, ut eorum gratia chronologiam V. T. attingamus atque impugnemus. Majore igitur jure anni dynastiarum ex Salomonis tempore constituendi regesque earum ordinandi sunt, quam temporis aequalitas regum Judae et Aegypti in contrarium vertenda.

Subjicimus tandem notationes aliquas ex historia Assyriorum populorumque affinium petitas, quorum etiam Eusebius rationem ducit, ut dijudicari possit, utrum ex illorum monumentis traditio V. T. comprobari an improbari videatur.

Universae Eusebii chronologiae exordium est a Nino, Beli filio, „*qui primus omnis Asiae exceptis Indis regnavit a. LII. Hujus XLIII imperii anno natus est Abraham*“. A Nino autem, qui a monumentis alienus est, cujusque nomen, uti nomen filii Ninyae a nomine urbis Ninua (Ninive) fictum esse apparet, plerique scriptores et Graeci et Romani, quorum notitia tandem ad Ktesiam redit, initium omnis dominationis repetunt; tamquam a primo, qui, ut Justinus I, 3, dicit, „*magnitudinem quaesitae dominationis continua possessione firmavit, totius Orientis populos subegit*“. Hanc persuasionem tuentur Diodorus, Vellejus Patereculus, Justinus, alii, et multi posteriores historici. In tempore constituendo non sunt concordēs. Ex Eusebii ratione Ninus 43 a. ante Abr. natum regnare coepit, i. e. a. 2058 a. Chr. Quum autem inter exodum ex Aegypto et templi Salomonis extructionem non 480 a., ut Eusebius vult, sed 600, ut supra demonstratum est, intersint, hoc discrimen 120 annorum addendum est, quo efficitur, Abrahamum a. 2135 natum esse, Ninumque incepisse a. 2178, quod etiam ii comprobant, qui ex Ktesia (apud Diodor.) regnum Assyriorum 1360 a. constituisse contendunt, donec ab Arbace, quisquis fuit, a. 818 a. Chr. (1197 Abr. ex Eusebii computatione) in Medos transferretur. Nam ex his duobus numeris efficitur a. 2178 a. Chr. At deducendi sunt illi decem anni, quibus Eusebius Salomonis tempus prius, quam par erat, constituit, ac perinde numeri horum annorum mutandi sunt in 2125 et 2168\*\*\*).

Fuerunt, qui Ninum, conditorem urbis Nini seu Ninive (ut etiam Eusebius adnotat), eundem esse existiment ac Nemrod V. T. — Abrahamum 292 a. post diluvium natum esse, ex computatione genes. c. XI. necessarie sequitur (ut et Josephus Flavius antiq. Jud. 1, 6, 5 computat); diluvium ipsum ergo a. 2417 a. Chr. evenisse apparet.

Quum Sale, pronepos Noe ex Sem, a. 37. post diluvium natus sit (gen. 11, 12), quumque ergo Nemrod, et ipse pronepos Noe ex Cham (gen. 10, 8), fere illius aequalis haberi possit, conjicere licet, hunc quoque fere 40 a. (aut spatium unius generationis, quod c. 53 a. censi posse supra vidimus), post diluvium, ergo c. a. 2360 a. Ch., natum esse. Nemrodi autem regni principium fuit

\*\*\*) Locus Aemilii Surae (de annis populi Romani), in Velleji libr. 1, 6 receptus, tradit a Nino ad Macedoniam per Romanos subjectam (167 a. Chr.) numerari 1995 annos, quo efficitur a. 2162 a. Chr., qui ad a. 2168 proxime accedit.

Babylon in terra Senaar (gen. 10, 10). „*De terra illa egressus est Assur et aedificavit Niniven*“ (gen. 10, 11), i. e. Ninive tamquam colonia Babylonis (multo post) condita est in Assyria.

Sed mittentes ea, quae porro Eusebius ex diversis scriptoribus profert, et ad propiora tempora transeuntes, eos viros doctos consulere nos oportet, qui totos in monumentis Assyriacis explicandis se collocarunt, quos assyrologos nominamus. Qui ut discrepantiam inter suos fontes et V. T. secundum suam opinionem expedire student, ita etiam annos Salomonis regumque succedentium et Judae et Israel ad multo posteriora tempora trahunt. Inter monumenta ad hunc finem imprimis servierunt canones eponymorum, quos vocant, quorum chronologiam extruxerunt in fundamento canonis alexandrini (sive Ptolemaei; aerae Nabonassar, ab a. 747 a. Chr.), ab eo sursum computantes. Assyrii reges, qui tempora regum Judae et Israel contigerunt, hi sunt: Salmanassar II. 858—824; Phul; Tiglath-Pileser (IV.) 745—727; Salmanassar (IV.) 727—723; Sargon 722—706; Sanherib 705—682; Asarhaddon 681—668; quorum primum V. T. ignorat; secundus autem Phul, a monumentis Assyriacis alienus, primus est, quem sacra scriptura nominat.

Ex inscriptione quadam (apud E. Schrader, die Keilinschriften u. das A. T. p. 94) legunt atque interpretantur, a. 854 a. Ch. ab rege Salamanassare, cujus regnum ex illo canone Assyriaco inde ab a. 858—824 statuunt, magna pugna apud Karkar devictos esse Benhadadum (Binhidri) de Damasco, Achabum de Israel (A-cha-ab-bu Sir'-la-ai), Matinbaalum de Arvad (Matinabali Arvadaai) et multos alios principes. Hic locus gravissimus est. Nam Achabum regem Israel significari putant. Atque cum hoc rege, quem ex computatione V. T. 922—900 a. Chr. regnasse statuendum est, universam regum seriem sursum deorsum mutant, ita ut Achab in tempore illius Salmanassar (II) ponatur. Lectionem et interpretationem rei narratae examinare nostrum quidem non est. Quantopere autem multi et docti viri, inter quos imprimis A. v. Gutschmid, de hac universa re dubitarint, E. Schraderus ipse in libro, qui inscribitur „*Keilinschriften und Geschichtsforschung (1878)*“, late refert. Jul. Oppertus pugnam apud Karkar a. 900 a. Chr. evenisse statuit, qua persuasione Achabi anni V. T. servantur. Dubitatio, quam res habet, augetur etiam inscriptione quadam regi Tiglath-Pileser (IV) adscripta (apud Schrader, die Keilinsch. u. d. A. T. p. 147), ex qua legitur, regi tributa contulisse inter alios: Matambaalum de Arvad (Mataan-bi-il Arvadaai) Joachaz de Juda (Ja-hu-cha-zi Ja-hu-da-ai). Neque in hac neque in illa inscriptione tributa conferentes nominantur reges. Joachaz rex Judae regnabat 608 a. Ch., minime ergo ad tempus Tiglath-Pileser pertinet\*). Nonne Matambaalus prioris inscriptionis idem sit, qui in hac nominatur? Apte autem Jahuchazi hujus inscriptionis conveniret et ad tempus Salmanassar (II) et ad regis Joachaz de Israel, qui non solum, testimonio V. T. (reg. 4, 13, 24), Benahadadi regis Syriae aequalis fuit — uti regis Achab prioris inscriptionis Benahadadus aequalis est —, sed etiam Matambaali, quem utraque inscriptio habet. Libri reg. nec contra Achab de Israel, nec contra Joachaz de Israel, nedum Joachaz de Juda, bella ab Assyriis gesta esse referunt, licet uberius bella cum Syris gesta enarrent. Quae igitur his duabus inscriptionibus contineri esse videntur, ita confuse comparata sunt, ut eorum gratia chronologiam V. T. mutare audacia sit.

Porro Jehu, regem de Israel (887—859), patrem Joachaz, ex inscriptionibus aliquibus Salmanssar (II) deducitur regi Assyriorum tributum contulisse (apud Schrader, die Keilinschr. p. 105 seq.), ideoque ad hujus tempus transferendum esse. Cum Syrorum regibus Jehu regem bella gessisse V. T. testatur (reg. 4, 10, 32), quae sub filio Joachaz continuata sunt; bella cum Assyriis ignorat. In hac inscriptione

\*) E. Schrader, l. c. p. 147. et Zeitschr. der Deutsch. morgenl. Gesells. XXVII, 327., auxilium petit a conjectura: Joachaz i. e. Ahaz. Eodem fere jure conicere liceret in priori inscriptione: pro Achab de Israel Joachaz de Isr., cujus anni 859—842 cum annis Salamanassar II. congruunt.

legunt: „*Ja-hu-a habal Ch-um-ri-i*“ interpretantur: „(tributum) *Jehu, filii Omri*“.\*) Nec regis titulus additus est, nec nomen terrae Israel. Jehu autem rex non fuit filius Omri (Amri, Ambri), sed filius Josaphat, filii Nimsi (reg. 4, 9, 2 et 14); nedum ad domum vel gentem Amri pertinebat, cui Jehu potius regnum eripuit, gentem totam delevit (reg. 4. c. 9 et 10), novam domum regiam condidit. Simili modo quondam (934) Amri regnum occupaverat, cui filius Achab, nepotesque Ochozias et Joram successerunt, 922—887. Aut ille Jahua alius quidam est, ac rex Jehu, aut ad alium quendam Assyriorum regem referendus.

Nec certiora, quam hucusque reperimus, tradunt tabulae Assyriacae de „*Az-ri-ya-hu mat Ja-hu-da-ai kima . . . Aschu-ri-ya-hu mat Ja-hu-di*“ (Schrader, l. c. p. 115 seqq.), i. e. Azarjah Judaeus sicut . . . Aschuriah de terra (i. e. mat) Juda. Duo igitur viri Judaei hic apparent. Azriyah praepropere pro Azaria (Ozia, Usia), filio Amasiae (reg. 4, 15, 1), rege Judae habetur. Hae tabulae mutilatae sunt, ut nomen regis Assyriaci exciderit. Ex mente Assyrologorum hic Azriah componendus est cum rege Syriae Rasin (Rezin; Ra-schun-nu, Schrader p. 116), quem teste Jesaia (c. 7 cf. reg. 4, 16) scimus constituisse filium Tabeel contra Achaz, regem Judae, quod factum in tempus Tiglath-Pileser (Teglathphalasar) incidit. Rasin autem Oziae aequalis esse non potest; qui ideo diversus est ab Azriah inscriptionis\*\*). Nam inter reges Oziam (814—762) et Achaz (746—730) intersunt 68 anni; inter Rezin et Benhadad (II), Syriae regem, qui contra Achab bellum gessit, duo reges regnaverunt\*\*\*).

Restat ut etiam de rege Phul, (Pul, *Φουλά*, LXX), a quo Assyrologi omnimodo liberare se tentant, quia ad ipsorum rationem accommodari non potest, pauca proferamus. A plerisque Phul rex Assyriorum idem habetur, ac Tiglath-Pileser (Theglathphalasar rex Assur, vulg., *Θαλαθφελλασάρ*, LXX). At in uno eodemque capite, libri reg. 4, 15, 19 et 29, eundem regem nominari primum Phul, tum Theglathphalasar! Praeterea certissimum stat testimonium par. 1, 5, 26: „*Et suscitavit Deus Israel spiritum Phul (Φαλώχ, LXX) regis Assyriorum, et spiritum Thelgathphalnasar (Θαλαθαλλάσάρ, LXX; Tuklat-habal-asar, monum.) regis Assur*“ reqq. Unus ergo (Phul) ad regem Manahem de Israel pertinet, alter ad regem Phacee de Israel\*\*\*\*).

Herodotus, 1, 95, narrat, ab Assyriis, postquam 520 annos superiori Asiae imperaverint, Medos descivisse, quorum exemplum alii populi secuti sint, inter quos etiam Babylonios fuisse verisimillimum est. Cum Herodoto consentit Alexander Polyhistor apud Eusebium (chron. vers. Armen. I. p. 25), qui auctore Beroso usus (cf. Mulleri fragg. Berosi II, 503) tradit, annos 526 Assyrios regnum Babyloniae obtinuisse. „*Post hos (reges) rex Chaldaeorum exstitit, cui nomen Phulus est*“. Facile ex his colligitur,

\*) Non juvat nec sufficit Schraderi brevis nota (p. 108): filius Omri i. e. successor. V. T. novit domum Achab (beth Achab), reg. 4, 9, 7, non domum Omri (Bit-Humri) de qua Schrader, Zeitsch. l. c. p. 321.

\*\*) Verisimilior Opperti (aegypt. Zeitschr. 1869. p. 68 cf. Schrader, l. c. p. 117) opinio videtur, Azriah fuisse illum regem, filium Tabeel, a Rezin constitutum.

\*\*\*) Scil. Hazrael (reg. IV. c. 7 et 8), qui ab annis Josaphat de Juda et Joram de Israel et prophetae Elisei usque in tempora Joachaz et Joas de Israel regnavit; successit ergo Benhadad II. post a. 900, obiitque Joa regnante i. e. post 842; atque Benhadad III., fil. Hazrael (reg. IV. 13, 24 et 25), quem Joas ter devicit. Rezin a Tiglath-Pileser victus et occisus est regnante Achaz ante 730 a. Chr.

\*\*\*\*) Ex aequalitate regum Achaz (reg. 4, 16, 1) et Joatham (ibid. 15, 30) de Juda nos ita computavimus: Manahem (Menachem; *Μανασίμ*, LXX; Miinchiimmi, monum.) 773—763. — Phaceja (Pekachah; *Φακεσίας*, LXX), filius Manahem (ibid. 15, 22) 763—762. — Phacee (Pekach; *Φακεέ*, LXX; Packacha, monum.) filius Romeliae 762—742. Sine dubio inter Phacee et Osee intersunt aliquot anni, quos V. T. ipsum non accurate computavit. Ex annis Achaz (reg. 4, 17, 1) et ex annis Joatham (ibid. 15, 30) cum initio Osee (731 a. Chr.) comparatis discrimen undecim annorum prodit. Varia lectio LXX ad 4, 15, 23 tribuit Phaceja non duos, sed decem annos. Revera totidem anni huic universo temporis spatio addendi erunt. Quomodo Oppertus hanc difficultatem solvere studeat, vide ejus librum: Salomon et ses successeurs, p. 37 seqq.

Babylonios Phulo duce se in libertatem vindicasse, cum quo Berosus novam incipit domum regiam seu dynastiam\*). Phulum regem et Assyriae et Chaldaeorum vel Babyloniorum vocari non admodum offendit, quia plura ejusmodi proferri possunt exempla\*\*).

Phulus igitur aut Assyriorum rex fuit, ut V. T. tradit, ante Tiglath-Pileser (a. 745 a. Chr.), aut Chaldaeorum ante Nabonassarem (a. 747), qui idem Chaldaeus nominatur, uti subsequentes reges.

Hanc persuasionem, quae et rei narratae et tempori respondet, nos amplectimur. Sennacherib rex Assyriorum a. 693 a. Chr. (ex ratione Schraderi) Babylonem expugnavit, et quidem 600 annis post primam expugnationem ejusdem urbis. (Schrader, Keilinschr. u. A. T. p. 294). Anno 1293 a. Chr. ergo nova dynastia regno Babylonio potita est. Quum haec Assyriorum dynastia teste Beroso 526 annos in Babylonios dominata sit, sequentem Chaldaeorum dynastiam a. 767 a. Chr. incepisse sequitur, ita ut tempus a liberata Babylonia usque ad Nabonassarum, vel tempus dominationis Phuli, interpositum sit inter a. 767—747 a. Chr.\*\*\*).

Vixdum quidquam obstat, quominus Phulo duce Babylonios se in libertatem vindicasse judicemus\*\*\*\*).

\*) In appendice I. chron. Euseb. I. p. 7 („*regum series secundum interpretem Armenum*“) primus „*Babyloniorum regum*“, est Phua, secundus Thaglathphalsar, reliq. 8. Baltasar Chaldaeus; 9. Dareh Medus; 10. Dareh Arschavir. — Dareh Arschavir esse „*Darium filium Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaeorum*“ (Dan. 8, 1) apparet, quem „series“ a Dario Medo distinguit. Nos nimirum ambo, Darium Hystaspis et Darium Assueri, eosdem esse judicamus. Baltassar rex aut, ex monumentis Assyriacis (Bilsarusur, vid. Schrader, die Keilinschr. u. d. A. T. p. 279), filius habebatur postremi regis Babyloniae Nabonadii (Nabuniti, Nabunahid, 555—538 a. Chr.); aut, ex relatione Danielis (5, 11, 13, 18, 22), filius Nebukadnezaris (Nabuchodonosoris, 604—561 a. Chr.). Plerique Nabonadium pro eodem habent ac Baltassarum. Ex relatione Danielis concludi necesse est, post interitum Baltassari statim Darium Medum regno potitum esse. „*Eadem nocte interfectus est Baltassar rex Chaldaeus. Et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexaginta duos*“. (6, 30 et 31). Quod interpretes fugit, qui Baltassarum pro Nabonadio habentes ejus historiam ad occupationem Babylonis per Cyrum factam (538 a. Chr.) referunt. Nabonadius a Cyro victus atque Beroso teste (Mulleri fragg. II, 508) perhumaniter usque ad postremum diem habitus est. Baltassar vero proxima nocte post captam urbem interfectus est. Ea, quae a propheta de Baltassaro traduntur, ad regnum Darii pertinere extra dubium ponitur c. 9, 2, quo sermo est de anno primo regis Darii, quo „*complebantur desolationis Jerusalem septuaginta anni*“. Baltassarum itaque illum ducem fuisse conicere licet, qui Dario regnante, nomine Nebukadnezaris assumpto, filium Nabonadii se ferens, regnum Babyloniae occupaverat atque a Dario victus et occisus est, uti inscriptiones Behistunae (Zeitschr. d. morgenl. Gesellsch. XXVI. p. 339 seqq.) iterum iterumque testantur. Qui, uti nomen Nebukadnezaris usurpavit, ita etiam genus suum ad hunc magnum regem referre studuisse videtur, unde facile apud Danielem (I. c.) filius Nebukadnezaris nuncupari potuit.

\*\*) Exempla sunt: Cyrus rex Persarum; rex Babylonis, I Esd. 1, 1; 5, 13; 6, 28. Darius Medus; rex Assur, Dan. 5, 31; Esd. 6, 22. Tiglath-Pileser in inscriptionibus et rex Babyloniae nominatur, sicut etiam successores ejus a rege Sargon usque ad Sardanapallum (Schrader, Keilinschr. u. A. T. 126 seqq.; Keilinschr. u. Geschichtsforsch. 426, 442, 451, 483). Labynetus Herodoti, filius Labyneti et Nitocris, reginae prudentissimae ac praepollentis, qui pro eodem habendus est, quem alii nominant Nabonadium, regnum Assyriorum tenebat, quum a Cyro vinceretur (I, 188); Croesi temporibus in Babylonios dominabatur (I, 77).

\*\*\*) Bunsenius, qui illam expugnationem ponit in a. 689 a. Chr., novam Babyloniorum dynastiam incipere statuit a. 1289 et extendi usque ad a. 763, i. e. ad Phulum, quem regnantem facit usque ad Tiglath-Pileser (745). (Zeittafel I. in Bibl. Gleichzeitgk.) cf. Hommel (Abriss p. 3), apud quem nova Chaldaeorum dynastia instituta est a. 1271 a. Chr.

\*\*\*\*) Ecquid ex nominum similitudine effici poterit? Nominis forma *Φαλώχ* apud LXX. a. nomine „*Βήλωχος*“, in serie regum Assyriorum recurrente, non admodum abhorret, neque a nomine „Beleus“, filii Dacetadae, in quo Semiramidis stirpem defecisse Graeci narrant, (Mulleri fragg. 3, 210; 4, 357), neque a nomine „Belesys“, qui cum Arbace Medo contra Sardanapallum conspirasse dicitur. Apud Schraderum (Keilinschr. u. A. T. p. 129) in inscriptione postremi anni Tiglath-Pileser occurrit Balašu, filius Dakkuri. Bunsenius, I. c. p. 40, cum Beleo (uncis includit: Phul?; Vul-lusch?) a. 763 a. Chr. novam dynastiam incipere opinatur. Ita ea, quae de Arbace et Belesi plerique veteres historici, primus Ktesias, tradunt, veri aliquid continere videntur, quantumvis de tempore dubitetur.



Quae praeterea ex inscriptionibus Assyriacis petita cum V. T. traditione comparantur, incidunt ex una parte in tempora postremorum regum Israel inter a. 773—722 a. Chr., ex altera parte in annos regum Phul et Tiglath-Pileser, qua aequalitate chronologia V. T. non turbatur. Quod idem valet de subsequentibus regibus Assyriae et de regibus Judae post interitum regni Israel.

Non est igitur, cur ex hisce, quae ex Assyriacis fontibus protulimus, ea quae in V. T. tradita sunt addubitemus et mutemus.

## Tabula chronologica, ex hac nostra commentatione confecta.

Anni a. Chr.	Anni a. Chr.	Anni a. Chr.
2417 Diluvium.	900 Joram rex Israel — 887. <i>ad Hazael, rex Syriae, aequalis Joram regis Israel, usque ad regnum Joae de Israel.</i>	727 <i>Salmanassar, rex Assyriae</i> — 723.
<i>c. 2360 Nemrod natus.</i>		722 <i>Sargon, rex Assyriae — 706,</i> <i>expugnator Samariae.</i>
2168? <i>Ninus rex Assyriae.</i>	887 Jehu rex Israel — 859.	<b>722</b> Finis regni Israel.
2125 Abraham natus.	884 <i>Lycurgus legislator.</i>	705 <i>Sennacherib, rex Assyriae —</i> <i>682; aequalis Ezechiae regis</i> <i>Judae; expugnator Babylonis</i> <i>693?</i>
2050 Aera repromissionis.	877 <i>Karthago condita; deleta 146;</i> <i>ex aera Timaei 814—146.</i>	<i>Tharaca (Tirhaka), rex Ae-</i> <i>gypti, aequalis regum Ezechiae</i> <i>Judae et Sennacherib Assyriae.</i>
1835 Jacobi iter in Aegyptum.	859 Joachaz rex Israel — 842.	<i>Necho (Neku), rex Aegypti,</i> <i>aequalis regum Judae Josiae,</i> <i>Joachaz, Jojakim.</i>
1620 Aera exodi.	858 <i>Salmanassar (II), rex Assyriae</i> <i>(in inscriptionibus repertus).</i>	608 Joachaz rex Judae.
1580 Mosis obitus.	842 Joas rex Israel — 826. <i>Benhadad III, rex Syriae,</i> <i>aequalis Joae regis Israel.</i>	606 <i>Ninive deleta; finis regni</i> <i>Assyriaci.</i>
1554 Josuae obitus.	814 Ozias rex Judae — 762.	604 <i>Nebukadnezar, rex Babyloniae</i> — 561.
1554 Judices per 450 annos — 1104.	776 <i>Aera Olympiadum.</i>	<i>Haphra (Apries), rex Aegypti,</i> <i>aequalis Sedeciae, ultimi regis</i> <i>Judae.</i>
1293? <i>Nova Babyloniorum dy-</i> <i>nastia.</i>	773 Manahem, rex Israel — 763.	<b>586</b> Jerusalem capta et deleta.
1184 <i>Trojae excidium.</i>	767? <i>Phul, rex Assyriae vel Baby-</i> <i>loniae — 747?</i>	586 Captivitas Babylonica — 516.
1104 Saulus rex — 1064.	763 Phaceja rex Israel — 762.	555 <i>Nabonadius rex Babyloniae</i> — 538.
1104 <i>Reditus Heraclidarum.</i>	762 Jotham rex Judae — 746.	538 <i>Babylon a Cyro Persa</i> <i>capta.</i>
1064 David rex — 1024.	762 Phacee rex Israel — 742. <i>Roma condita: ex aera Cato-</i> <i>nis a. 751, ex aera Varronis</i> <i>a. 753; (ex Ciceronis et Velleji</i> <i>Paterculiratione a. 749. a. Chr.)</i>	521 <i>Darius Hystaspis Medus, rex</i> <i>Persarum.</i>
1032 <i>Hiramus rex Tyrius —</i> <i>998.</i>	<b>747</b> Aera Nabonassaris.	518 <i>Babylon rebellans a Dario</i> <i>recuperata.</i>
<b>1024</b> Salomon rex — 984.	746 Achaz rex Judae — 730. <i>Razin, rex Syriae, aequalis</i> <i>regum Achaz Judae et Phacee</i> <i>Israel.</i>	518 <i>Darius rex Babyloniae.</i>
<b>1020</b> Templum Salomonis aedificari coeptum. Aera templi.	745 <i>Tiglath-Pileser, rex Assyriae</i> — 727.	<b>516</b> <i>Secundus annus Darii</i> <i>regni Babylonicum.</i>
1002? <i>Smendis rex Aegypti</i> <i>(Susakim) — 978.</i>	731 Osee rex Israel — 722. <i>Sua (Schebek) rex Aegypti,</i> <i>aequalis regis Osee.</i>	
<b>984</b> Divisio regni Salo- monis.		
979 <i>Susakim regis bellum con-</i> <i>tra Roboam regem Judae</i> <i>gestum.</i>		
964 Asa rex Judae — 923.		
934 Amri rex Israel — 922.		
922 Achab rex Israel — 900. <i>Benhadad II, rex Syriae,</i> <i>aequalis Achabi regis Israel.</i>		
900 Ochozias rex Israel.		

# LECTIONES.

## A. ORDINIS THEOLOGORUM.

### Dr. Henr. Oswald, P. P. O., h. t. Decanus.

- I. Praemissa introductione doctrinam de Deo deque divinis attributis ac de S. Trinitate exhibebit quinquies vel sexies in hebd. hora X.
- II. Grammaticam linguae Hebraicae docebit, adjungens exercitia interpret., ter per hebd. hora II.
- III. Offert scholas quas vocant germanisticas semel in hebd. hora design. habendas.

### Dr. Franc. Hipler, P. P. O.

- I. Theologiam pastorem docebit sexies per hebd. hora IX.
- II. Eloquentiae sacrae praecepta tradet diebus Lunae et Jovis hora VIII.
- III. S. Thomae Aquinatis selecta capita interpretabitur horis definiendis.

### Dr. Franc. Dittrich, P. P. O.

- I. Historiam ecclesiasticam novissimi temporis bis per hebd. hora IX.,
- II. Historiam primaevae ecclesiae enarrabit quater per hebd. hora IX.
- III. De arte ecclesiastica disserere perget bis per hebd. horis definiendis.

### Dr. Hugo Weiss, P. P. O.

- I. Jobi librum interpretabitur bis terve per hebd. hora VIII.
- II. Evangelium sec. Johannem explicabit ter per hebd. hora VIII.
- III. Antiquitates sacras et domesticas Hebraeorum tradet bis per hebd. horis definiendis.

### Dr. Julius Marquardt, P. P. E.

- I. Theologiae moralis partem generalem tradere perget, qua absoluta de virtutibus theologicis disseret quinquies per hebd. hora XI.
- II. Repetitiones et disputationes de gravissimis ethicae christianae capitibus instituet semel per hebd. hora XI.
- III. Patrum apostolicorum vitam atque opera enarrabit horis definiendis.

## **B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.**

### **Dr. Jos. Bender, P. P. O. h. t. Decanus.**

- I. Historiam generis humani primaevam resque populorum orientalium enarrabit ter vel quater per hebdomadem hora VIII.
- II. Historiam Prussiae imprimis Warmiae tradet bis per hebd. h. VIII.
- III. De praecipuis historicis eorumque scriptis disseret semel per hebd. h. VIII.
- IV. Literarum in Prussia culturarum historiam exponet semel per hebd. hora definienda.

### **Dr. Laur. Feldt, P. P. O.**

Veneranda senectute excusatus lectiones nullas habebit.

### **Dr. Fried. Michelis, P. P. O.**

Lectiones nullas habebit.

### **Dr. Wilh. Weissbrodt, P. P. O.**

- I. Inscriptiones selectas interpretabitur bis hebdomade hora IX.
- II. Aeschyli Prometheum vinctum enarrabit ter hebdomade hora IX.
- III. Exercitationes philologicas instituet in Lactantii institut. divinarum libb. h. d.

### **Dr. Jos. Krause.**

- I. Introductionem in studium philosophiae tradet bis per hebdom. hora X.
- II. Logicam et noëticam docebit ter per hebd. hora X.
- III. Historiam philosophiae medii aevi enarrabit semel per hebdom. hora X.

---

## **Publica doctrinae subsidia.**

Bibliotheca Lycei Regii, cui praest **Prof. Dr. Weiss**, commilitonibus patebit diebus Martis et Veneris h. II—III.

Praeterea instrumenta, quae ad physicen, mathematicam et astronomiam pertinent, in Lyceo asservantur.

---

## CERTAMEN LITTERARIUM ET PRAEMIA.

Renuntiatio judiciorum de certamine litterario a commilitonibus Lycei  
Regii Hosiani anno superiore inito et quaestionum in annum  
currentem propositarum promulgatio.

---

**Ordo Theologorum** pro certamine litterario has proposuerat quaestiones:

I. Ex instituto Regio: De impeccantia Christi disputetur ita, ut non solum quousque ea secundum Ss. Patrum et Doctorum doctrinam extendenda, sed etiam quomodo cum satisfactionis merito reconcilianda sit, explicetur.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano: De disciplina poenitentiae III primis saeculis in ecclesia orientali et occidentali observata.

Una Ordini oblata est commentatio de priore quaestione hisce inscripta S. Joannis verbis: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Joan. I, 29.

Qui hanc conscripsit commentationem subsidia, quae praesto erant, diligenter etsi interdum nimis presse secutus argumentum propositum sollerter indagavit, apte disposuit et quantum fieri potuit pro virili parte accurate enodavit. Elocutio, quamvis naevis sat multis non vacua, expedita tamen est et plerumque intellectu facilis. Quare Ordo Theologorum praemium ei tribuendum esse unanimi voto censuit. — Scheda reclusa nomen prodiit

Johannes Poschmann, stud. theol.

De altera quaestione nulla Ordini tradita est commentatio.

**Ordo Philosophorum** commilitonibus de praemio regio certaturis hanc quaestionem proposuerat: Quid de culpa tragica Sophocles senserit.

Commentatio constituto tempore Ordini subiecta est una his Schilleri verbis:

„Der Uebel groesstes aber ist die Schuld“

insignita.

Quam qui conscripsit, diligenter et accurate in re proposita versatus est. Scripsit plerumque dilucide et si a paucis locis discesseris, pure atque emendate. Quapropter praemium ei persolvendum esse Ordo iudicavit.

Rescissa charta innotuit:

Aloysius Koslowski, stud. theol.

In sequentem annum 1881—1882 pro certamine litterario has quaestiones proponit

### Ordo Theologorum:

I. Ex stipendis Regio:

De superstitionis religiosae origine, indole, formis.

II. Ex stipendio Scheill-Busseano:

Exponatur, quantum scripta Tertulliani ad antiquitates ecclesiasticas cognoscendas atque illustrandas conferant.

**Ordo Philosophorum**


commilitones de praemio Regio certaturos quaerere iubet, quae sit philosophiae cum theologia necessitudo.

Commentationes sermone latino scriptas et more solito obsignatas ante diem XV. mensis

Januarii MDCCCLXXXII rectori Lycei tradetis.

Victoribus praemia constituta sunt ex instituto Regio LXXV, ex stipendio Scheill-Busseano  
C marcarum.

Promulgatum in solemnibus Serenissimi Imperatoris et Regis Guilelmi nataliciis die XXII. Martii  
anni MDCCCLXXXI.



03824